



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 2. Quid est Assecuratio?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

## CAPUT X.

*De Transactione, Affecuratione, Fidejussione, Pignore, & Hypothecâ.*

**Q. 1.** *Quid est Transactio?*

*Resp.* Est pactio utrinque onerosa de re dubia, & lite incerta sive mota, sive movenda. Hinc ad ejus justitiam tria requiruntur. 1. Ut res, super qua transigitur, sit dubia saltem probabilis existimatione utriusque partis: alioqui fieret injuria parti clarè habenti jus, quæ non componere transigendo, sed vexationem injustam redimere censeretur. 2. Ut conventio sit cum aliquo onere utriusque partis: alioqui donatio esset, non transactio. 3. Per eam lis componatur, vel dirimatur: nam ad hoc instituta est.

**Q. 2.** *Quid est Affecuratio?*

*Resp.* Est contractus, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se, vel gratis vel certo pretio ad solvendum ejus pretium, si perierit. Quando hæc obligatio pretio suscipitur, est contractus similis venditioni: nam venditur obligatio præstandi Domino rem indemnem, quæ est pretio æstimabilis.

*Ex communi,* ad ejus justitiam requiritur. 1. Ut periculum subsit saltem probabiliter, vel ab utroque judicetur subesse, ita ut rei eventus sit utrique incertus. Si enim ante contractum

N n 3

con-

constaret affecuranti res, vel merces alterius esse extra omnem aleam positas, v. g. jam pervenisse ad portum, peccaret, & teneretur restituere pretium acceptum: nam nullus est titulus accipiendi pretii, cum affecuratio non sit in hoc casu digna pretio. Deinde affecurans sua deceptione dedisset causam contractui. Idem dic de eo, qui sciens rem suam periisse, pacisceretur cum altero de illius affecuratione: quia impossibilis est rei, quæ perit, affecuratio; hæc enim potest esse duntaxat de re, cujus periculum caveri potest: ergo tunc nullus est contractus, cum deficiat ejus materia. Deinde tunc dolus daret causam contractui. 2. Requiritur, ut pretium sit proportionatum periculo, spectata æstimabilitate rei, quæ affecuratur, alioqui non servaretur æqualitas.

*Q. 3. Quid est Fidejussio?*

*Resp.* Est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis eam non impleverit. Circa quod observa

1. Si obligatio debitoris principalis sit invalida, aut extinguatur, cessat etiam obligatio fidejussoria defectu materiae: quia hæc semper supponit obligationem principalem, estque illius accessoria.

2. Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quam debet is pro quo obligantur: nam  
eorum